MONSTRORUM
EXTREMITATIBUS CARENTIUM
EXEMPLA TRIA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITTERARIA

BEROLINENSI

PRO SUMMIS

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE XVIII. M. AUGUSTII MDCCCXXVI.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MAURIT. LUDOVIC. SERLO.

NEOMARCHICUS.

OPPONENTIBUS.

H. FREUND, MED. ET CHIR. DR.

H. KALCKSTEIN, MED. ET CHIR. DD.

F. GUTTMANN, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,

FORMIS FEISTERIANIS ET EISERSDORFFIANIS.

FRATRI DILECTISSIMO

DRI. MARTINO LUDOV. SERLO,

MEDICO PRACTICO.

rudimentis amplissimae artis, in qua experientia sola valet, instructus, anxius non haesitet et fluctuet, si novae cujusdam et publica dijudicatione haud indignae materiae excolendae officium impositum sit?

Qua in dubitatione fratrem meum, apud Crosnienses medicum practicum visitanti mihi obtulit sese pueri hypospadia laborantis casus; quem statim libelli conscribendi argumentum eligere decrevi. Attamen non sine approbatione praeceptoris mei summopere venerandi Jll. Rudolphi consilium captum perducturus hunc adii, qui autem, monstrositatem illam,

cum haud ita raram, tum saepius jam decriptam esse censens, rem a me propositam rejiciebat, statim vero etiam pro humanitate sua angustiae meae consulebat, eo quidem, ut monstra tria e collectione ditissima, quae in Museo nostro anatomico servatur, decribenda mihi proponeret. Quorum quidem primum neonata matura est, cujus altera extremitas superior et utraque extremitas inferior in priori evolutionis statu remanserunt; alterum capreolus, in quo omnium extremitatum formatio praepedita erat; tertium canis, cujus anteriores modo extremitates evolutionem justam non assecutae sunt. In quorum corporum

a normali conditione aberrantium indagatione anatomica sumopere me adjuvit egregia sane prosectoris in universitate nostra, Celeberrimi Dr. Schlemm, ars et scientia, cui quidem viro magnam ob operam, quam humanissime in se suscepit, gratias quam possum maximas ago.

Te autem L. B. rogatum volo, ut indulgenter hasce pagellas excipere et aequus mihi judex esse velis.

Introductio.

Priusquam specialem mostrorum describendorum expositionem aggrediar, summam diversarum sententiarum de origine monstrositatis, nominatim — quippe quae imprimis hujus loci esse videtur — evolutionis praepeditae (Hemmungsbildung) paucis verbis tradere rei adaptum erit.

De nulla fere corporis animalis functione ita multae et ita diversae a diversis autoribus sententiae prolatae sunt ac de generationis negotio. Uti vero in therapia summa remediorum contra morbum ali-

quem commendatorum copia, nos a cognoscenda hujus morbi causa proxima longissime adhuc abesse probat, ita hic opinionum numerus, nos veritatem nondum invenisse, probare videtur, quae alias hypothesium turbam jam refutasset. Quae theoriarum generationis diversitas non potest, quin in explicationem originis monstrorum maximi sit momenti. Pauca modo ad illustranda specimina mihi projacentia e Meckelii compendio anatomes pathologicae (Vol. I.) afferam, libro mea laude majore, in quo uberius tractata sunt, et in quo tota haec materia ita ingeniose et lucide exposita magna exemplorum copia suffulta et munita est, ut superaddi vix aliquid queat.

Si ponimus, germen animalis nascentis jam ante foecundationem efformatum esse et animalis virilis adcessu in vitam modo vocari crescendique facultatem accipere,

ponere quoque cogimur, embryonem aut jam in germinis statu depravatione originaria laborare, aut postea mechanice solummodo alienari posse, quam utramque hypothesin Meckelius optime refutavit. Si vero ponimus, coitum foecundum primam novo organismo originem dare, embryonemque inde a conceptionis momento usque ad evolutionis suae fastigium plures percurrere periodos, in quibus organorum ipsius forma gradatim mutetur — sententia, ipsum durante evolutione e causa aliqua a normali evolutione magis minusve retinere turbarique, itaque in monstrum depravari posse, ad veritatem proxime accedere videtur; quae vero causa in prima ipsius periodo, ubi organa omnia certum evolutionis gradum nondum assecuta, accedat necesse est. Jam vero in illa periodo, ubi embryo nonnisi mucus vix coalitus atque condensatus

indagatoris oculo sese exhibet, omnia organa adhuc desunt — quae etiam postea non uno eodemque omnia celeritatis gradu evolvuntur. Energia deficiente fieri potest, ut organa quaedam in prima periodo jure et rite deficientia omnino non formentur, quare organi cujusdam defectus, organismum hac ratione in statu priori periodo normali restitisse, demonstrat. Ita defectus antibrachii et manus in infante mox describenda, defectus extremitatum anteriorum in capreolo et cane, explicandus. Porro autem fieri potest, ut organum aliquod usque ad certam periodum rite evolvatur, tum vero in evolutionis persecutione impedimento quodam (in universum haud definiendo) praepediatur et retineatur, ita ut non amplius eadem ac ceterae corporis partes energia crescat. Ita in neonata mox decribenda, brachium sinistrum, in capreolo

extremitates posteriores in priori evolutionis gradu remanserunt. Id vero notatu dignum videtur, alias partes symmetricas eadem forma gaudere, vel in eadem evolutionis periodo remanere vel aequo modo procedere, solere, uti etiam in extremitatibus inferioribus infantis et in posterioribus capreoli factum est; in extremitatibus superioribus autem neonatae nostrae aliter rem sese habere, dextram duntaxat formam normalem assecutam, sinistrae vero partes nonnullas deficere, alias haud rite evolutas esse.

Jam vero ad specialem monstrorum nostrorum descriptionem nos accingamus.

I. Neonata matura.

Caput rite formatum ostendebat (quod igitur in tabula adjecta non depictum) truncus quoque et tota extremitas superior dextra adeo ad regulam, imo ad elegantiam, conformata erant. Extremitas superior sinistra vero cute adhuc integra omnino deesse videbatur, persecta vero reflexa cute dimidia fere brachii pars apparebat, dimidia inferiore parte cum antibrachio et manu plane deficiente. Forma rudimenti ossis brachii, in tabula adjecta c notata, conica est, ita ut

apex deorsum spectet, et sub insertione musculi deltoidei, h, finem habeat, caput autem, vel basis ossis cum scapula articulatione rite conjungatur.

Scapula, b, et clavicula, a, bene formatae apparebant.

Musculi. Supraspinatus, infraspinatus, teres minor, coracobrachialis omnino desunt; adsunt contra teres major et subscapularis. M. latissimus dorsi autem ad pelvim usque desideratur. M. pectoralis major, f, in tres portiones divisus est, quarum duae a costis et sterno, tertia, uti solet, a clavicula exoritur. Portiones illae duae sternales spatio triangulri a se dirimuntur, cujus basis sternum, apex humerum versus spectat. Portio inferior major a cartilaginibus costarum tertiae, quartae, sextae et a margine

laterali sterni adjacente exoritur, et uti solet cum M. recto abdominis conjungitur; superior minor a cartilagine costae primae et manubrio sterni exoritur. Insertio totius musculi solito modo fit in humero prope marginem anteriorem musculi deltoidei integri, sed imminuti — M. pectoralis minoris, g, formatio omnino abnormis, profectus nempe a quinta, quarta, tertia costis infigitur secundae et primae, similis quodammodo musculo sternali brutorum, nonnunquam magis ad interiora, ad sternum, provenienti — Musculi scapulam moventes serratus anticus major, i, cucullaris, k, omohyoideus, e, ceterique, neque non subclavius et sternocleido-mastoideus, l, nihil abnormis ostendunt. Musculi vero movendo antibrachio inservientes, biceps, brachialis internus, triceps, sine vestigio desunt.

N e r v i b r a c h i i. Rami anteriores nervorum cervicalium, m, quatuor inferiorum, primique nervi dorsalis, cum maxima extremitatis superioris pars desit, admodum parvi sunt, sed solito modo in plexum conjunguntur, cujus vero maximi fere rami nervi thoracici anteriores et posteriores apparent, quorum anteriores musculos pectorales majorem et minorem, posteriores M. serratum anticum majorem ramulis instruunt; nervus transversus scapulae desideratur; N. axillaris solito modo ad musculos subscapularem et deltoideum tendit — Ad apicem trunci humeri duo nervi descendunt, quorum alter radicibus suis arteriam brachialem amplectens nervo mediano, alter ex octavo cervicali et primo dorsali originem trahens nervo ulnari respondet, uterque in inferiore trunci memorati parte, in ramulos, qui in cute cicatricum in modum hoc loco corru-

gata disperguntur divisus finitur. — Nervi radialis, musculocutaneus et cutanei majores vel decrant vel obscuri erant, licet praeter nervos memoratos rami etiam nonnulli debiles ad cutem tenderent.

Arteriae axillaris rami thoracici et scapulares totum fere truncum dissolvunt, ita ut parvis modo ramis arteria brachialis ad trunci apicem descendat.

Extremitates inferiores. Ad utrumque pelvis latus in monstro nostro extremitatum loco appendix modo parva, oblongo-rotunda, corrugata, cute et tela cellulosa composita, foveae in cute circumjacente immersa (quae in tabula adjecta in dextro latere loco x notato depicta). Quas quidem appendicis rudimenta extremitatum inferiorum in priori evolutionis statu retentarum

esse censemus, et nominatim partem prominentem ex mollibus modo systematibus compositam pedi respondere licet digitorum ne vestigium quidem ostendat. Etenim remotis integumentis externis adipe multa repletis partes subjacentes accuratius examinantibus, obtulit sese os femoris valdopere quidem abbreviatum, sed normali modo cum acetabulo conjunctum, neque non tibia minima, duas circiter lineas longa, cum osse femoris ligamentis conjuncta; patella et fibula cum omnibus pedis ossibus desiderabantur.

Musculorum ii praecipue evoluti sunt, qui a pelvi originem trahunt, sed propter tibiam nimis contractam et exiguam plurimi musculorum ad hoc os a pelvi descendentium in parte inferiore inter se conjunguntur e. g. M. sartorius, r, cum gracili, u, et

semitendinoso, v. Magis ad superiora musculus pectinaeo, s, ut videtur, respondens a ramo horizontali ossis pubis ad spinam ossis ilii anteriorem superiorem tendit, ibi prope M. sartorii originem infixus, descendentem ventrem et tendinem communem musculorum iliaci interni et psoae majoris tegens. — Capita musculi tricipitis ossi femoris brevissimo sese infigentia totam ejus partem internam occupant. Musculi rectus femoris, vasti externus et internus, cruralis et subcruralis discerni nequeunt; singuli modo fibrarum muscularium debilium fasciculi in eorum locis apparent. Tensor fasciae latae, q, et glutaei, o, p, adsunt, neque biceps deest, qui infra in fasciam latam abit. — Etiam in crure singuli fibrarnm muscularium fasciculi apparent, at musculi separati frustra quaeruntur.

Ap-

Appendix illa mollis x supra memorata non partibus duris sólum, sed etiam musculis, arteriis, nervisque destituta, e tela cellulosa modo et cute constat, uti jam diximus.

Nervi cruralis, obturatorius, ischiadicus adsunt, sed minores, ita ut N. pudendus communis N. ischiadico major appareat. — Pari modo vasa sanguifera se habent. —

II. Capreolus.

Noster sine extremitatibus natus, jam dentibus instructus erat, qui, secundum Ill. Rudolphi, gravissimum in rebus Zoonominicis autorem, probabant, animal ad minimum sex ad octo hebdemades post partum vixisse. Sine dubio per hoc tempus a matre alitus, postea ab ea derelictus, artubus deficientibus cibum quaerere non potuit itaque fami succubuit.

Cute in superiorum et inferiorum extremitatum locis, in utroque latere soluta

pauca modo extremitatum rudimenta se obtulerunt.

In extremitate anteriore utriusque lateris de partibus duris scapula modo adest; musculus pectoralis major in extremitate scapulari cum cuculari confluit, omnes musculi alias humero antibrachiove sese inserentes (latissimo dorso non excepto) desunt. Etiam hoc in exemplo rami anteriores nervorum cervicalium quatuor inferiorum, et dorsalis primi admodum parvi sunt, conjunguntur in plexum, cujus rami et ramuli in musculos scapulae disperguntur.

Extremitas posterior in utroque latere paulum diverso modo se habet. Adest brevissimum os femoris, neque cruris ossa desunt; omnium vero ossium pedis loco unicum adest os cylindricum pollicem et

quartam partem magnitudine aequans tuberculosum, cum extremitate inferiore cruris articulatione mobili conjunctum, quod, apice deorsum verso, appendicem cartilagineam immobilem, quartam pollicis partem magnitudine aequantem, sub cute proxime jacentem gerit.

Femur et crus musculis instructa sunt, quorum ii, qui a pelvi progrediuntur, validitate excellunt. Parvum illud os cylindricum pedis musculis destitutum.

Vasa cruralia, quantum per monstrositatem fieri potest, secundum normam se habent. Nervi contra cruralis et obturatorius desunt, et N. ischiadicus permagnus non solum musculos in parte posteriore femoris musculosque cruris ramis instruit, sed satis magnum etiam ramum emittit, qui perfora-

tis Mm. adductoribus femoris in parte anteriore femoris ascendit et ita omnes illos musculos ramulis instruit, quibus alias nervi obturatorius et cruralis prospiciant. Alius quidam N. ischiadici ramus ad cutem os illud cylindricum pedis musculis destitutum tegentem descendit.

III. Canis.

Et hic jam vixerat, quod oculi aperti probabant. Anteriores ejus extremitates fere ut in capreolo descripto sese habent. Etiam hic de partibus duris scapula mode adest; musculus vero pectoralis major non, ut in capreolo, cum cuculari, sed cum latissimo dorsi in unum musculum super totam scapulam expansum, confluit. Etiam hic nervi plexum brachialem formantes minimi sunt et multiplicibus ramis in superiorem musculi pectoralis majoris partem expanduntur.

Extremitates posteriores omnesque ceterae partes ad normam conformatae sunt.

Monstris hisce descriptis ranam quoque, in museo nostro servatam, coordinare possem, cujus sinistra extremitas anterior omnino deest; etsi enim hanc a messore quodam falce longiore (Sense) amputatam esse facile suspiceris, tamen accuratissima cutis idagatione minimum quidem talis laesionis vestigium mihi exhibuit.

Curriculum vitae.

Ego, Mauritius Ludovicus Serlo, Schermeiselii, oppidulo in Neomarchia sito, a patre Ludovico Serlo et a matre Henrietta e gente Wolfiana, natus sum. Quamvis parentes omnem operam darent, ut me litteris excolerent, tamen in oppido patrio eruditio mea perfici non poterat. Itaque mense Octobri, anni millesimi octingentesimi duodecimi, Berolinum me contuli, ibique in Gymnasii Berolinensis ultimam classem receptus, ab hac usque primam adscendens, doctissimis amatissimisque praeceptoribus Bellermann, Fischer, Koepke, Heinsius, Stein, Ritschel aliisque gavisus sum, quorum omnium memoria sempiterna mihi erit. His praeclarissimis ducibus studio classicorum auctorum Graecorum Latinorumque nec minus historiae et litteris mathematicis, aliisque quae in lyceis tractantur disciplinis omnem navavi operam.

Quum per annum et dimidium primam classem frequentassem, testimonio maturitatis instructus

Gymnasium reliqui, et die XXII mens. Aprilis anni MDCCCXXII a Cel. Wilken t. t. Rectore magnifico, inter cives academicos, a Decano maxime venerando Ill. Link in facultatem medicam universitatis, in hac regia sede florentis, receptus sum. Ab illo inde tempore hisce interfui lectionibus: de encyclopédia et methodologia studii medici Ill. Rudolphi, de botanice et historia naturali, neque non de cryptophytis, de toxicologia, de biologia Ill. Link; de zoologia universali Cel. Lichtenstein; de physice cel. Erman et Cel. Fischer; de chemia Cel. Mitscherlich, de omnibus anatomiae partibus neque non de entozoologia Ill. Rudolphi, cujus etiam et Ill. Knapii institutionibus practicis in arte cadavera dissecandi usus sum; de pathólogia generali, de historia medicinae, de Celsi libris Cel. Hecker, de pathologia et therapia speciali, neque non de morbis mentis et syphiliticis Ill. Horn; de therapia speciali morborum chronicorum Perill. C. W. Hufeland, de materia medica Cel. Wagner, de semiotice pathologica et de Hippocratis aphorismis Ill. Berends; de chirurgia generali et speciali Ill. Rust et Cel. Jüngken, de arte formulas medicas concinnandi Cel. Casper, de morbis oculorum neque non de acologia Cel. Jüngken; de arte obstetritia Ill. de Siebold, cujus etiam obstetriciis in phantomate exercitationibus interfui. Neque minus institutis clinicis a Perill. Hufeland. Ill. Berends et Ill. Rust directis usus, praecipue a Perill. Hufeland de praxi medica exercenda instructus sum.

Academicae vitae cursu sic finito, tentamine et examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore ut, dissertatione thesibusque publice defensis summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

Theses defendendae.

I.

Aquas minerales arte imitari non possumus.

II.

Omnium disciplinarum medicinae anatomia est fundamentum.

III.

Omnia graviditatis signa, seorsim spectata, fallacia sunt.

IV.

Nullum in medicina venenum.

Tabulae explicatio.

Extremit. super.

a) Clavicula
b) scapula
c) rudimentum ossis brachii
d) m. platysmamyoides
e) m. omohyoideus
f; f; f; m. pectoralis major
g) m. pectoralis minor
h) m. deltoideus
i) m. serratus anticus major
k) m. cucularis
l) m. sternocleidomastoideus
m) rami anteriores nervorum cervicis plexum brachialem formantes.
n) Vena jugularis.

Extremit. infer.

o) M. glutaeus maximus
p) m. glutaeus medius
q) m. tensor fasciae latae
r) m. sartorius
s) m. pectinaeus esse videtur.
t) caput tricipitis
u) m. gracilis
v) m. semitendinosus
w) m. seminembranosus
x. x) rudimentum pedis.